



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.18. Concilium Romanum pro Imaginibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](#)

Bona, ut lubebat, in pauperes aut in Mo-Sæcul. VIII.  
nachos dispensabat. Ab eodem licentiam A.C. 732  
obtinuit recipiendi se in Monasterium  
Sarcingense fundatum a S. Trudone seu  
S. Tron, ante annos ferme triginta quin-  
que defuncto. Ibi S. Eucherius vitam  
sancte finivit anno exilii sui sexto, Incar-  
nationis septingentesimo trigesimo octa-  
vo, vigesimo Februarii, quo Ecclesia ejus *Martyr.R.*  
*memoriam colit.* 20. Febr.

### §. XVIII.

#### *Concilium Romanum pro Imagini- bus.*

Cum Imperator epistolas Gregorii III.

Papæ accipere non fuisset dignatus,  
ejusque Legatum Georgium Presbyte-*Anast. in*  
rum pessime habuisset, permotus est Pon. *Greg. III.*  
tifex, ut anno circiter septingentesimo tri-*Sup. §. 8. 9.*  
gesimo secundo Romæ in Ecclesia S. Petri  
Concilium convocaret. Adsuere Episcopi  
nonaginta & unus, quorum præcipui  
erant Antonius Archiepiscopus Graden-  
sis, & Joannes Ravennas, Presbyteris  
quoque, Diaconis, Clericis Romanæ Ec-  
clesiæ omnibus, Nobilibus, Consulibus  
& reliquo populo præsentibus. In eo  
Concilio decretum, ut quicunque Eccle-  
siæ Consuetudinem circa Venerationem  
Sacrarum Imaginum contemneret, qui-  
cunque easdem tolleret, destrueret, pro-

E 4 fana-

Sæcul. VIII.  
A. C. 732.

fanaret, aut verbis contumeliosis proscinderet, Corpore & Sanguine IESU Christi privaretur, & a Communione Ecclesiæ separaretur. Huic Decreto omnes qui in Concilio aderant solemni ritu subscripti erunt, idemque Auctoritate præcedentium Pontificum confirmatum est. Deinde Papa Constantinus Defensorem ad Imperatorem misit cum epistolis, quæ etiam sicut priores detentæ sunt, & Constantinus arcto carceri traditus, in quo postquam integro ferme anno fuisse, vi e sinu ejus raptæ sunt litteræ, ipse autem minis perterritus & male mulctatus dimittitur. Tunc missæ sunt epistolæ totius Italiæ nomine, quibus rogabatur Imperator Imagines restituere; sed has quoque e manibus illorum, qui deferebant, Sergius Patricius Siciliæ Prætor eripuit, ipsos octo mensibus retinuit & tandem satis irrisos expulit. Non destitit Papa hac super re Constantinopolim scribere, & epistolas Petro Defensori ferrendas tradidit; frustra vero omnia.

### §. XIX.

#### *Persecutio Imaginum causa.*

Theoph. an. 16. p. 343. **I**mo Leo Imperator vehementi ira in censu in Papam & Italiam refractariam, valida classe adornata, bellum movit; sed classis ista, in mari Adriatico naufragium passa, periit. Hinc increvit